DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CHOLERA INDICA,
VEL
SPASMODICA,

QUÆ IN INDIA ORIENTALI PER POPULOS GRASSATUR;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

D. GULIELMI TAYLOR, S. S. T. P.

ACADEMIÆ GLASGUENSIS PRÆFECTI;

NECNON AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BARWELL CARTER,

Anglus.

Ips. Non. Maii, horâ locoque solitis.

Boerhaave professus est, "Nullum se cognovisse remedium, quin solo tempestivo usu tale fieret."

GLASGUÆ:

EXCUDEBANT ANDREAS ET JOANNES M. DUNCAN,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1822.

VIRO EXIMIO

GULIELMO BLIZARD EQUITI AURATO

IN NOSOCOMIO LONDINENSI

QUINQUAGINTA FERE ANNOS

CHIRURGO

AMOREM SCIENTIÆ INDEFESSUM

AC

PIETATEM ERGA RES HUMANAS INVICTAM

ADHUC ARGUENTI

HOC OPUSCULUM

ANIMI ADMIRANTIS GRATIQUE

PIGNUS QUIDEM EXIGUUM

DEDICAT

AUCTOR.

ROBERTO DOWNIE

DE APPIN

ARMIGERO

SENATORI INTEGERRIMO

HOC TESTIMONIUM PARVUM

SUÆ OBSERVANTIÆ NON PARVÆ

OFFERT

GULIELMUS BARWELL CARTER.

JOANNI THOMÆ CARTER

HOC MONUMENTUM

AMORIS AC PIETATIS FRATERNÆ

CONSECRAT

FRATER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOLERA INDICA.

PROŒMIUM.

Qui Exercitibus Medicinam faciant, iis, præ cæteris Medicis, est multo melior occasio, quâ remedia morbis tempestivè adhibita videant; quâque sedulò observent mala innumera, ac inter se diversa, longam adversam valetudinem comitantia; cum morbus ad initium statim abrumpi nequiverit, cumque vires ægri, gravibus symptomatis aliis post alia ingruentibus, sensim exhaustæ, demum prorsus defecerint. Medicis Exercituum quoque est melior, quam

aliis Medicis, occasio videndi, quantum Ars Medica, propriis, quibus prædita sit viribus, ad morbos leniendos aut sanandos valeat. Quicunque in vita civili artem Medicam exerceat, plerumque ægris ex longinquo, et passim dispersis administrat; multis præjudiciis ac pertinaciæ, tam in ægris, quam in eorum amicis, sæpe conflictatur; nec unquam certe potest scire, an sua præcepta peragantur, et sua remedia, ritè ac prout præscripta, ægris adhibeantur. Medicus verò legionarius juxta eos, quorum valetudo illi sit curæ, cunctos sæpe adest; vel saltem frequenter ac certis intervallis invisere potest; semper quoque, morbo ipso primum ingruente, et omni novo periculo instante, citò advocatur. Imperia ejus haud impunè negliguntur; medicamentum omne ab eo mandatum, recto more porrigitur; effectusque cuncti hinc orientes, vel bonum vel malum ægro inferentes, a ministris fidelibus ac peritis accuratè enarrantur. Respublica Nostra præterea, quique ejus negotiis præsint, suis fortibus defensoribus benè consulentes, præsertimque

Summus Ipse *Regius* Imperator, cui salus suorum Commilitonum semper erat maximæ curæ, omnia, quibus Ars nostra indiget ad morbos sanandos, manu haud parcâ, suppeditant.

Omnibus, res militares probe cognoscentibus, bene perspicuum est, quod, in castris male positis, stationibusque insalubribus, ubi, adversus hostem nec videndum nec tangendum, animus strenuus ac fortis nihil valet, morbi etiam consueti et sporadici, magis quam ferrum ipsum, militibus necem inferunt. Epidemicus verò grassans est adhuc multò infestior. Animus in agminibus ac pugnis strenuus et ardens sæpe ad arcendos leviores morbos pollet; at Epidemicus tristissimus nec juvenibus, nec impigris, nec fortibus parcit; virosque optimos, gloriæ avidos, et spe elatissimos, in mortem immaturam, ac inopinatam, at, heu, ignobilem, mittere gaudet. Talis erat morbus, qui nuper in India Orientali grassabatur. Anno millesimo octingentesimo decimo septimo, hoc malum horrendum in Copiis Nostris, quas Vir Nobilissimus Mar-

7

chio de Hastings ducebat, subitò ingruit, et postea longè latèque per Indiam discurrit. Ex indagatione ampla apparet, eundem morbum variis temporibus, ac partibus Asiæ diversis, et olim et nuper, exortum fuisse; atque sine ullo aut terræ aut cœli discrimine vagari passibus æquis solitum esse. Multis in locis necopinato prodire, ac cito abire: nec plerumque amplius quam a quatuordecim diebus ad mensem eodem in loco permanere videbatur. In Calcutta sæpius, quam in cæteris Indiæ Orientalis partibus ac regionibus, suos impetus fecit.

Quum sæpenumero videre hunc morbum, ac curare homines eo decumbentes, mihi, Medicinam pro Exercitu Regio in India facienti, contigerit, nunc in hac Dissertatione, quædam a me visa de ejus indiciis ac curatione proponere conabor: nam, ut mihi videtur, decet unumquemque summâ ope niti, ut, pro sua virili parte, omnia comperta, ad hoc malum illustrandum ac sanandum conducentia, in medium proferret.

DEFINITIO MORBI.

Dejectiones aquosæ, conamina ad vomendum inania, spasmi violenti, alii post alios crebrò succedentes, plerumque in pectoris ac abdominis musculis incipientes, vel saltem eos in decursu morbi semper infestantes.

ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Cholera Spasmodica suum primum ingressum repentè, ac inopinato facit. Vultus ægri speciem anxiam atque solicitam induit. Hic Aspectus, quem vultus præ sese fert, signum præbet adeo certum, ac peculiare, quod ex hoc solo viso, Medicus, experientiâ edoctus, spasmos aliaque indicia jamjam sævitura esse, prædicere possit. Frons interea sudore frigido, et viscido dimanat. Respiratio crebro anhelitu perficitur. Singultus urget. Membra assiduè jactantur, nec quiescere possunt. Pulsus arteriarum, etsi haud præter solitum frequens, at debilis, tremulus vix sentiendus evadit; hinc vires vitæ omnes repentè collabuntur. Intestina torminibus diris crucian-

tur. Æger nauseat, multumque sitit, ac de ardore mordace ventriculum afficiente conqueritur. Sæpe quoque nisibus ad vomendum irritis urgetur. Ventriculus omnia cibaria fastidit, et quicquid ingestum ejicit. Lingua albescit, ac præsertim ad radicem sordet. Nec vomitus verò, nec etiam dejectio semper adest; nam interdum hic morbus, suis aliis gravibus indiciis stipatus, tam in mortem, quàm in sanitatem, nihilo, totum per decursum, aut supra aut infra rejecto, desinere conspicitur. Humor tamen aquosus, ac nonnihil glutinosus, interdum e ventriculo emittitur; simulque molesto cum tenesmo sæpius per anum dejicitur. Materia verò excreta, sive sua sponte fluens, sive ope lotionum elicita, semper suam propriam naturam retinet; nec unquam latice biloso commixta reperitur. Spasmi, musculos, primò trunci corporis, deinde surarum et brachiorum afficientes, dolore ac infandis cruciatibus vexant. Hi non semper easdem partes lacessunt, at sæpe aliquid intercapedinis sinunt. Pulsus interea, spasmis aliquamdiu cessantibus, firmior, vultus quoque hilarior evadit: at hæc

quies incerta et infida, citò spem fallit; nam spasmi violentiores, ad instar fulminis, in partes vel easdem, vel diversas, horæ momento, revertuntur. Musculi verò nunquam convelluntur, sed in nodos duros, magno cum dolore, se contrahunt. Hic dolor, etsi interdum sit immanis, tamen plerumque pressurâ aut fricatu adhibitis, aliquid remittitur. Scorbiculus cordis semper calescit, quum extrema membra frigent, unguesque colore livido afficiuntur, ac quasi incurvantur. Cutis præsertim volarum, veluti aquâ diu macerata, albescit et corrugatur.

At Morbus interdum sæviore impetu adoritur. Vultus speciem mœstam, languidam, ad instar cadaveris, pallidam, ac sublividam ostendit. Oculi, quasi vitrei, sunt excavati, et circulo livido circumdati. Artus frigescunt, ac rigent. Arteriæ primò languidè micant, deinde penitus cessant. Tandem verò animi deliquium, sudores frigidi copiosiùs erumpentes, viresque collapsæ, ægrum miserrimum e medio tollunt. Mens interea rarò alienatur; nam homines hoc morbo correpti, etiam cum jam de iis penè conclamatum

sit, sæpe plenè sui compotes, cum adstantibus de morte sua instante colloqui potuerunt. Spasmi quoque interdum, animâ jam abiturâ, omnino cessant, ægroque tranquillum ac serenum e vitâ decessum præbere gaudent.

Violentia, quâ spasmi musculos constringunt, a viribus ægrotorum præcipuè pendet. In validissimis, tam membra quàm reliquum corpus patiuntur; in minus validis, corpus tantum; dum debiles atque infirmi, spasmis nullis insignibus corripientibus, reliquias suarum virium citò perdunt; remediisque adhibitis nihil obstantibus, vi sedativâ morbi solâ oppressi, ac quasi obruti, morti victrici occumbunt.

Indicia jam enumerata, in ægris diversis, diversam seriem ac ordinem servant; nam nunc dejectiones copiosæ, vel cum vel sine vomitu; nunc spasmi potius morbum inducunt. Multum quoque variatur tempus quo aliud indicium deinceps alii succedat; hinc morbus, spatiis admodum diversis, suum decursum conficere solet. Nunc duabus horis, nunc totidem diebus suas victimas interimit.

PRÆSAGIUM EVENTUS.

Omnium Morborum, quibus corpus humanum corripitur, nullus, sæviores, ac vehementiores, quam Cholera Spasmodica, impetus facit; aut citiùs ad suum finem currere gaudet. In homines suo robore fretos, in debiles atque infirmos, multò jam fractos membra labore, bellum ad internecionem infert, ac, cum jam concursum fuerit, exiguo quidem tempore, aut cita mors venit, aut victoria læta. Medicus igitur de iis hoc morbo laborantibus cautè auspicari debet; nam eventus casûs uniuscujusque semper maximo in dubio pendet. Quo festinatiùs indicia, aliud post aliud, sequantur, eo majus est periculi pertimescendum. Si spasmi citò dejectionibus, aut si hæ illis arctè instent, haud leve discrimen erit, ne æger, suis viribus exhaustis, ac prælio impar factus, morti occumbat. Mali quoque est ominis, si totum per corpus copiosiùs erumpant sudores gelidi, quippe quo nihil magis, vires vitæ omnes jam defecisse ostendit. Licet contra nobis bonum sperare, si membra extrema suum calorem admo-

dum recuperent; si distensio nervorum cesset, ac dejectiones vomitusque parciùs redeant. Circuitus verò sanguinis haud minus in hoc, quam omnibus aliis in morbis, summam Medici inter auspicandum attentionem proprio jure sibi vindicat, nam, hoc deficiente, alia cuncta in melius frustra mutantur. Gradus caloris, quo extrema membra afficiuntur, quoque maximi est momenti, nam, etsi spasmi immanes vexent, nil est timendum, quamdiu artus suum calorem servent naturalem. Manus verò pedesque adhuc frigidi ac rigentes, tametsi spasmi cessaverint omnes, periculum haud leve, vel etiam mortem instantem præsagiunt. Quoniam noster Morbus bellum gerere longum spernat, de victoria benè sperare conceditur ægroto, cujus vires per quadraginta horas ad pugnam sustinendam valuerint; nam plerique Cholerâ Spasmodicâ correpti primum, aut secundum inter diem obeunt; adeo quo longiùs certamen producatur, eo magis res ægro inclinat.

DIAGNOSIS.

Ut Cholera Spasmodica ab aliis morbis innoscatur, non multis opus est verbis. Cullenus Noster, Omnium Nosologicorum facilè princeps, Choleram sic definit.

"Humoris bilosi vomitus, ejusdem simul dejectio frequens; anxietas, tormina; surarum spasmata."

Inter *Choleram Communem*, et eam, de qua nunc agitur, hoc intercedit discrimen, quod in illa, fel præcipuè, in hac latex tantùm aquosus egeritur; hinc quoque in illa flavent lingua, cutis, oculique; at in hac nullum flavedinis adest. Præterea in Spasmodica musculi plures simul, ac violentiùs constringuntur: nam in Communi, spasmus plerumque pedes ac crura tantum aggreditur: adeo morbus, qui per Indiam Orientalem grassatur, magis, quam Cholera bilis dejectionibus stipata, reperitur esse lethalis, viribusque Medicinæ multò intractabilior.

Inter Choleram Spasmodicam et Tetanum aliquid similitudinis intercedit, nec desunt auctores,* quibus placet, nostrum Morbum ad Tetanum potiùs referre. Nec mirandum est, quoniam uterque morbus iisdem in plagis ac tempestatibus viget; forsitanque iisdem e seminibus suam originem ducit. Tetanus verò suos impetus, alvo adstrictâ comitante, semper facit; eosdem musculos totum per suum decursum infestare gaudet. At in Epidemico Indico, spasmi, qui dejectiones abnormes, ac vomitum vel anteire, vel excipere soleant, semper totum per corpus longè latèque vagantur, musculos, eodem in ægroto, nunc pectoris ac ventris, nunc crurum, nunc brachiorum ac digitorum corripientes.

QUÆDAM EX INSPECTIONE CADAVERUM VISA.

Inprimis est dignum notatu, quod calor auctus, qui in Epigastrio ægri adhuc viventis sentitur,

* Girdlestone's Essay on Hepatitis and Spasmodic Affections of India. Lond. 1787.

diutiùs post mortem, quam solitum, permanere observatur. Incisis verò cadaveribus, omnia vasa in cerebro sanguinem vehentia præter solitum turgida conspiciuntur. Turgent quoque tam arteriæ, quam venæ mesenterii ac mesocoli; glandesque sic dictæ *conglobatæ* justo largiores fiunt. Tunicæ ventriculi ac intestinorum, quasi Arte Ruyschianâ præparatæ, penitus rubent, sæpeque ostendunt maculas quasdam, colore purpureo aut livido, ac veluti gangrænâ correptas. In tubo alimentario passim, ac maximè in ventriculo ipso, reperitur humor subalbidus, turbatus, viscidus, qui adeo tenaciter adhæret, quod necesse est, eum abradari, si statum tunicæ villosæ probè inspicere velis. Hepar sanguine scatet: fel ipsum perraro augetur, at interdum fit solito viscidius, ac multùm suo proprio colore aberrat. Intestina multo aëris plerumque inflantur; at vesica urinaria reperitur vacua, atque contracta. Latex serosus, quo cava intima corporis humectantur, non augetur. In ægroto, qui, spasmo violentiore sæviente, mortuus est, egomet reperi ventriculum per medium transversè contractum,

ac duas in partes veluti divisum. In quibusdam verò, præsertim debilioribus, quos morbus, ut sæpe mos est, citò necaverat, nihil a statu sano aberrans in conspectum venit.

CAUSÆ MORBI.

De causis variis, e quibus hic morbus oritur, parvulum quidem certi in medium proferre possum. Multos homines, eandem regionem habitantes, uno tempore invadit; sed nihil labis contagiosæ habere videtur. Cholera *Communis* per omnes plagas calidiores, ac tempestates præcipuè grassatur. Morbus verò affinis, de quo nunc agitur, inter Asiæ terras se continet, nec usquam gentium alibi, quatenus mihi noscitur, homines inopes aggreditur. Neque semper Asiæ Incolas urget; nam sæpe, sine causa manifesta, per quandam regionem sævire incipit; ac jam, quasi suo ludo, heu! nimis longo satiatus, pariter sine causa evidente, cessare gaudet. Quomodo hæc fiant, prorsus ignoramus. Aliquid noxii diffudi videtur per aërem; sed quam mutationem aër

subeat, aut quo pacto vitæ humanæ adeo lethalis evadat, Philosophis atque Medicis gnaviter at frustra indagantibus, adhuc omnino latet, et forsitan semper latebit.

Causa quoque Prædisponens, scilicet, quæ homines huic morbo procliviores reddat, haud minus in tenebris jacet. Observandùm verò est, quod robùsti, ac bonâ valetudine fruentes, minus quam debiles, Choleræ Spasmodicæ opportuni redduntur. Europæi quoque in India habitantes, sunt minus obnoxii, quam Indigenæ, qui etiam, propter suam constitutionem laxam ac debilem, morbum minus facilè tolerant. Hospitia apta, scilicet frigore, ac nimio humore defensa, vestitus bonus, et victus saluber, ad arcendos hujusce mali impetus multùm conferunt: nam omnibus benè notum est, quod frigus corpori priùs calefacto, et sudanti admotum, decubitus, præsertim noctu, in locis humidis, temulentia, nimia frigidæ potatio, aliaque similia sæpe stetêre causæ, cur homines hoc, aliisque tropicis morbis, perirent.

De causa sic dicta proxima parum quidem dicere ausim. In Cholera Spasmodica distributio sanguinis, quæ æqua, ac regularis tantum ad integram valetudinem conducit, a conditione sana multùm turbatur; nam ad interiora abundat; externe verò, et ad corporis superficiem planè deficit: hoc docent quæque in cadaveribus visa; docent quoque pallor summæ cutis, artusque frigentes. Præterea tubus alimentarius totus debilitate, ac nimiâ irritabilitate afficitur; vis cordis et arteriarum minuitur; at musculi, qui motui voluntario inserviunt, plus justo se contrahunt; sed quomodo hæ conditiones inter se connectantur, aut quâ viâ ipsæ e seminibus morbi suam originem ducant, non opis est nostræ tantum resolvere nodum. Nam ipsa causæ proximæ notio generalis, si non prorsus falsa, saltem confusa admodum est, et obscura, et temerè a rebus abstracta. Commenta igitur, multum decantata, de causis proximis variorum morborum, plerumque ad Medicinam tam Practicam quam Theoreticam nihil boni conferunt: nec mirum est, quoniam eorum pleraque quidem vix possunt

intelligi, nec fortasse ab ipsis auctoribus unquam satis intellecta fuerunt.

RATIO MEDENDI.

In nullo alio morbo, magis quam in hoc, Ars Medica eventum faustum atque prosperum ostendit, si modo ægro bonâ constitutione prædito auxilium inferatur citum; si contra infirmis, et iis, quorum vires sint infractæ, sera medicina paretur, Ars nostra nusquam magis frustra laborat.

A quibusdam dubia, ac inefficax habetur Res Medica: at meliùs de ea censebitur omnibus, quicunque animadvertant, quomodo, ejus viribus, Febris, Phrenitis, Pneumonia, Hepatitis, Enteritis, ac Cholera Spasmodica, in suis cursibus, abrumpantur.

Historiæ, quas de nostro morbo auctores diversi confecerunt, multum inter sese discrepant, de indiciis observatis,—de iis ex inspectione cadave-

rum visis, atque de prospera ratione Medendi. Hinc oritur Medico inexperto multum dubii, et Medicinæ ipsi, quasi principiis certis carenti, opprobrium haud leve.

In hac verò discrepantia nullum forsitan erroris inest, nam æquum est suspicere, quod omnia indicia tam diversa enumerata, rationes medendi tam contrariæ, atque res morbidæ post mortem detectæ tantum ostendunt, temperamenta hominum multùm variari, remedia diversa in diversis morbi temporibus prodesse, morbumque ipsum, per omnem suum cursum, non easdem in corpore mutationes inducere. At etiam cum res non omnino absimiles sint, curatio admodum diversa, sine injuria, adhiberi potest; nam plura remedia ad idem consilium persolvendum accommodata sunt; et cuique Medico sua arridet Methodus, experientiâ ac longo usu commendata. Facultas oculis lynceis observandi, ac scitè judicandi, diuturna consuetudine sensim comparata, Medico erudito suggerit usum remediorum tempesti-

vum, e quo eorum vis atque efficacia maximè pendent.

Quo plus aliquis morbus fit funestior, latiùsque per populum grassatur, eo promptiùs ad eum refertur omnis levis affectio, quæ eandem sedem, aut indicia consimilia habet. Hinc oritur ægro exitialis pavor; Medicusque ipse, suis officiis auctis, trepidans atque solicitus, sese accingit ad morbum gravem debellandum, quum tantum symptomata linire, ac metum sedare opportet.

In administrandis remediis ratio habenda est, *non ad nomen morbi solum;* nam medicamenta in corpore sano, ac morbido, effectus prorsus diversos edere solent; hinc quod corpori malè sese habenti optimum remedium, vel saltem innocuum esset, morbis vacuo datum, fortasse nocivum, vel etiam lethale esse potest. Homo sanus a sanguinis jacturâ ad libram tantum unam animo linquitur; at idem, morbo acuto laborans, missionem librarum trium, vel quatuor, facilè, ac sine damno, tolerat. Vis quoque Calomelanos

magna, quæ pro intestinis nimiâ irritabilitate affectis ; Opii, quæ pro totius corporis, vel alicujus partis irritatione ; Arsenici, quæ pro morsu Serpentium, sæpe cum fructu, ac sine damno porrigitur ; eadem, hominibus integrâ valetudine fruentibus data, plerumque esset haud innocua, immo interdum prorsus lethalis. Decet igitur Medicum sagacem, morbo sæviter per populum grassante, cautè animum ad symptomata vertere ; et cum pavor publicus, ac multa funera eum ad malum ipsum formidolosum aggrediendum urgerent, potiùs, in omni casu dubio, aut minus notabili, signis, quæ maximè infestent, sua remedia accomodare.

In anno 1819, cum morbus per Legionem Peditûs Decimam quartam vagaretur, Legio Equitatûs Octava pro cultu divino ad templum ibat: ac inter ambulandum milites plurimi, nam tempestas erat pluviosa, suos pedes humectati sunt. Concio, quam ex cathedra audierant, morbum divinæ iræ incensæ attribuens, ac funera commilitonum crebra, animis omnium haud parum

pavoris incusserunt. Hinc, tempore pomeridiano ac vespero, ad Nosocomium deferebantur multi, quorum plurimi suum metum ostenderunt, omnem spasmi sensum augentes, sudorem gelidum glutinosum super cutim, præsertim frontis, fundentes, pulsumque debilem ac citum habentes. Apothecarius Nosocomialis verbo, Cholerâ usus erat: ego verò eos, quasi Intestinali malo affectos, curavi; omnesque hoc modo in sanitatem citò rediêre. Si morbus sub Choleræ nomine grassans nullum terroris excitasset, par est suspicari, quod nemo in albo Nosocomii inscriptus fuerit; at, remedio militario multum laudato pro pedibus humectatis, (scilicet cyatho spiritûs ac sudatione) fideliter adhibito, omnes ad unum convaluerint.

. . . .

In Cholera Spasmodica, haud minus, quam aliis in morbis, indicationes curatoriæ quæ, ad unumquemque casum conveniant, vix, ac ne vix quidem, sunt formandæ. Multum variatur secundum statum morbi, quum Medicus vocatus sit. Primo vires ægroti, etsi conamina vomendi,

ac dejectiones eum valdè urgeant, parum adhuc franguntur; postea verò, vis nervosa totius ferè corporis penitus exhauritur, et vultûs pallor, musculorum plurium spasmi, aliaque symptomata graviora, mortem instantem minantur. Multum quoque variatur ex conditione ægri, sive fuerit robustus, sive debilis, sive demum valetudinarius, fractus jam membra prioribus morbis. In ægris validioribus conatus tempestivi plerumque eventum prosperum habent; in debilibus curatione magis variatâ opus est, ac exitus in dubio semper pendet; in valetudinariis denique, quantumvis maturè auxilia nostra lata fuerunt, ut plurimum, operam nostram infaustè perdimus. Si ægrotus fuerit validiore corporis compage præditus, detractio sanguinis libera spasmos sublevat, efficitque, ut ventriculus quicquid ingestum retineat; sine quo omne aliud remedium antispasmodicum nihil valet. Sanguis primo prodire refugit, dein guttatim stillat; postea verò, rivo parvulo atque fracto defluit. Pulsus arteriarum nunc liberior ac validior evadit; summaque cutis suum proprium calorem recuperat; hinc omne impedi-

mentum tollitur; pleno e fonte cadit sanguis, quo copiosè detracto spasmi penitus fugantur. Si æger nunc in lectum eat, perspiratioque per cutim ritè promoveatur, facilis, ac vires reficiens obrepit somnus; atque morbus abit, exceditque totus. Opium, aliaque remedia antispasmodica ac cardiaca, etsi non semper necessaria sint, sæpe in auxilium vocantur.

In debilioribus sanguis est detrahendus, quo spasmi leniantur, vomitusque sistatur; at periculum erit eo usque procedere, donec morbus penitus juguletur. Igitur, hoc præstantissimo auxilio nunc prohibito, ad balneum percalidum, ad opium, et ore devoratum, et per clysmata adhibitum, ad vinum, fomenta stimulantia, sinapismos et vesicatoria confugiendum est.

In valetudinariis eadem remedia, detractione sanguinis exceptâ, usurpari debent; at vix non semper irrita atque inania reperiuntur. Infelices hujus tyranni nil miserantis victimæ, a dolore violentiore immunes, at ventriculo omnia sumpta

rejiciente, viribusque celeriter exhaustis, tandem diem obierunt supremum.

Medicamenta alvum cientia, quoniam secretio fellea nihil peccet, sunt parum necessaria, nec prodesse possunt, immo plerumque planè nocent. In Cholera Communi, ubi fel secernatur copiosius, at fortasse vitiatum, purgatio, quippe quæ sit curationis pars magna, nunquam impunè negligitur. In nostro verò morbo, cathartica, præsertim si sint acriora, ac calefacientia, jacturam virium, jam per se deficientium, valdè periculosam faciunt. At cum jam spasmi violentiores fugati fuerint, semper adhiberi debet aliquid catharticum mitius atque refrigerans, quo, quicquid morbidum, in alvo secretum, sit ejiciendum. Idem forsitan per alvi ductionem meliùs perficitur. Hoc magis necessarium esse videtur, quod dejectiones aquosæ, ac alia signa alvi malè se habentis, plerumque, quasi reliquiæ morbi superati, aliquot per dies permanent.

Quoniam membra extrema multum frigent,

circuitusque sanguinis sæpè vix non prorsus sistitur, calor, omnibus modis corpori admotus, in auxilium est vocandus. Igitur balneum calidum ex aqua marina, si præsto sit, stragula multa calefacta, fricatio summæ cutis cum panno laneo, haud inutilia reperiuntur. Girdlestone narrat, Indos ipsos, saccis arenâ calidâ plenis, ac corpori admotis, multo cum fructu, uti solere. Narrat quoque de Medico Belgico, qui ægrotos, hoc morbo correptos, feliciter curavit. Ægrotus vestibus exutus, decumbit in lecto arundinibus confecto, cui hypocausta supposita erant. Amplum imponitur stragulum, adeo ut calor ex hypocaustis circum corpus contineatur. Summa cutis interea panno laneo calido fricatur, ac post unamquamque vomitionem sumitur dosis opii soluti.

Ad spasmos compescendos, doloremque immanem sedandum, Medicamenta dicta *Narcotica*, quorum opium præcipuum est, largè præbere debemus. Hæc vi quâdam peculiari motus abnormes sistendi gaudere, omnes Medici probè

sciunt. At modi, quo in corpora animalia agunt, rationem reddere, etiam si operi tam arduo ingenium (quod sentio quam sit exiguum) par .esset, animusque ferret, a re nostra nunc prorsus alienum esset. Quum vomitus non compescendus opium rejiceret, sub enematis formâ, vel frictionis super cutem, administrari debet.

Vinum pro hoc morbo multùm laudatur, nec mirum, quoniam in eo vires vitæ magnopere imminuuntur. Cum igitur sudor gelidus ac glutinosus, musculorum spasmi, pulsus arteriarum fluctuans, aliaque hujusmodi signa, extremam adesse debilitatem denotant; vinum liberrimè est præbendum. Sin hoc autem non modo frigidum, at calidum stomachus ferre nequeat; ad Tincturam aromaticam, Spiritum lavendulæ compositum, Spiritum Salinum aromaticum, aliaque similia, prout ægro gratiora sunt, confugere debemus. Prosunt fomenta stimulantia, Medicamenta rubefacientia ac vesicatoria, quæ sanguinem ad superficiem corporis alliciant, exhala-

tionemque per cutim, aut etiam sudorem calidum promoveant.

Scrupulum vel semidrachmam Submuriatis Hydrargyri in initio morbi, multo cum fructu, interdum dedi. Hoc etiam cum opio conjunctum nullam, me observante, majorem vim sedandi habuit. Idem medicamentum visum fuit esse minus efficax cum Europæis, quam cum Indigenis, qui adeo de eo benè censuerunt, ut hunc *pulverem album*, a nostris flagitare, ac sibimet ipsis adhibere soliti fuerunt. At, ut mihi videtur, huic soli, plurimis in casibus, fidere non debemus.

EXEMPLA.

Exempla, quæ sequuntur, depingunt morbum, prout robustos, debiles, ac valetudinarios afficit. Ex his omnia discere licet. Quæ multæ varietates oriuntur ex conditione vitæ, ex corporis constitutione, aut diuturnitate morbi, dicere haud operæ pretium erit.

Mense Septembre anni 1819, Tonsor Indigena, cum mihi suam artem exerceret, Cholerâ Spasmodicâ correptus fuit. Spasmi erant violentissimi, dolentissimi, Tetano similes. Statim venam incidi, et sanguis primum pigrè, dein celeriùs fluxit; libræ tres et amplius detractæ erant, cum, deliquio animi instante, symptomata morbi decesserunt omnia. Postquam tantum pauxillum Aquæ menthæ piperitidis sumpserat, in domum suam abiit. Postero die mane, horâ solitâ, ad suum officium præstandum revertit, dixitque, se in lectum ivisse, libere sudasse, ac altè totam per noctem dormivisse: nunc optimè, aliquo debilitatis excepto, sese habere.

Sanguis missus nihil crustæ coriaceæ ostendit.

Tonsores in India sunt de gente infima, ac, cum pro rata parte, multum pecuniæ lucrentur, plerumque lautè vivunt.

Mulier, quæ iterum atque iterum Febrem Intermittentem passa erat, ac cujus hepar male

se habebat, in nostrum Morbum incidit. Detractio sanguinis spasmos lenivit, ac efficit, ut ventriculus laudanum cum æthere, dein calidum generosum alimentum retineat. At vis cordis et arteriarum non eo usque refecta est, ut circuitus sanguinis æqualiter ac ritè promoveatur. Spasmis igitur recurrentibus, atque viribus vitæ multùm imminutis, confugitur, felice cum eventu ad antispasmodica aliaque hujusmodi sedulò adhibenda.

Mense Octobris anni 1820, Decurio Legionis Equitatûs Octavæ, qui, propter constitutionem morbo confectam, exauctoratus erat, Cholerâ Spasmodicâ laborabat. Stomachus omne ingestum rejecit, alvusque lotiones opio medicatas retinere nequivit. Vesicatoria, frictio cum medicamentis stimulantibus, fomenta, balneum calidum, ad actionem cordis instaurandam, frustra tentata sunt: Ægrotus violento dolore immunis, compos sui, ac de sua morte instante tranquillè loquens, viribus, spatio triginti sex horarum, protinus exhaustis, ad plures migravit.

Tres alii milites, rude donati, eodem tempore in hunc morbum inciderunt, similiterque mortem occubuerunt.

At juvenis robustus Legionis Peditûs Decimæ quartæ, qui, spatio suæ militiæ peracto, in Europam erat reversurus, eodem tempore correptus fuit. Facta est liberè venæ incisio, quam, citiùs dicto sequuti sunt spasmi laxati, circuitus sanguinis denuo expeditus, transpiratio per cutem liberior, somnusque altus ac diuturnus. Ei porrectum erat nihil aliud, quam pulmentum tenue, pauxillo vini ac cinnamomi commixtum; atque cras mane, dosis Olei Ricini, cui guttæ paucæ laudani additæ fuerant. *Detractio sanguinis morbum sanaverat.*

Omnibus in his exemplis Ægrotos, etiam ingruente morbo, vidi.

In ægris, quorum historiæ nunc relatæ sint, ac in aliis a me tractatis, erat mihi in animo, *summâ cautelâ atque maximâ curâ*, experiri, si

detractioni sanguinis *soli*, in morbis acutis curandis, confidere liceat. Nunc compertum habeo, quod, plurimis in morbis hujusmodi, opus est nullo alio remedio; si modo postea victui, ac alvi conditioni satis animadvertatur. Hoc votum ac conatus ad experiendum occurrerunt mihi, in memoriam revocanti cogitationes meas in tractando ægro, cujus morbus me solicitum reddiderat, quia defuit occasio, alium Medicum in consilium asciscendi. Morbus ipse initio fuit dignotu perdifficilis; delirium postea, ac dolor ventris pressione auctus, clarè prodiderunt, quod cerebrum, viscusque quoddam, vel plura abdominis inflammatione correpta fuerant. Sanguis liberrimè missus est, omnia in melius citò versa sunt, et jamjam morbus decessit totus. Usurpatæ sunt tantum capiti dolenti hirudines, ac alvo malè se habenti sua propria remedia. Æger nihil amplius poposcit.

Eodem tempore occurrit mihi in mentem, Galenum narrasse, quod, quum in morbo acuto copiosè, ac bono cum exitu, sanguinem detraxis-

set, astantes exclamaverunt, " *Homo, febrem jugulasti.*" Occurrit quoque, celeberrimum Joannem Hunter observasse, quod in morbo diuturno, cum vires penitus exhaustæ essent, morbus ipse, priusquam æger, perit.

Solatium ac fides, quæ auctoritas benè rata præbet, possunt cognosci tantum iis, quibus salus hominum, remotis in sedibus, concreditur, ac qui eam maximam curam rectè æstimant. Mihi talibus in rebus posito, atque omnia recordanti, in mentem venit hæc conclusio, quam eodem tempore in notam cepi, "Quiddam virium vitalium ad actionem morbidam sustinendam requiritur; si verò morbus acutus ad necem inferendam, passibus incitatis, progrediatur, quo instanti periculo succurrere possimus, vires ægri eo usque sunt attenuendæ, donec actio hæc morbida longiùs procedere nequeat."

Considerationes ulteriores, ac colloquia, de efficacia detractionis sanguinis in curandis morbis acutis, me adhuc certiorem fecerunt. Erat

mihi consuetudo cum Dr[e] Shoolbred, Medico eximio atque perito, qui cum de fœmina tenera Peritonitide correptâ loqueretur, ita dixit, "quod vix non ad exaninitionem sanguinem detraxerat, ac postea medicamentum opiatum ad vires reficiendas dare coactus fuerat; hinc subsequuta sunt transpiratio per cutem facilis, ac per totum corpus diffusa, atque somnus placidus, ex quo ægra surrexit, morbo vacua, tantum de debilitate conquerens." Alia exempla hujusmodi enumerata sunt, e quibus ille Medicus audax, et mitis conclusit, hæc verba faciens, " Hisce in omnibus, remedium ipsum quidem mortem minatum est, at, procul omni dubio, morbi, qui jamjam erat necaturus, gradum sistitit. Opium verò forsitan solum vires jam difficientes recreavit: atque jactura sanguinis sine opio, aut opium sine sanguinis jactura, utrumque per se, fuerit lethale."

GLASGUÆ:
ANDREAS ET JOANNES M. DUNCAN,
Academiæ Typographi.